

rius legitime quaesitum, inprimis cum adhibita debita diligentia & praëjudiciis depositis facile intelligatur, & Deum esse & super homines habere jus imperandi, cui arctissima parendi obligatio in nobis respondeat. (2) *quod atheus nunquam consenserit in subjectionem Dei.* Resp. male subjectionem hominum Deo debitam derivari ab illorum consensu, cum potius ex beneficio creationis & conservationis fluat, quale, quamvis neget atheus, revera tamen accepit.

§. 11. Sed Dn. Bayle atheos ea de causa a pœna immunes pronunciat, *quod ipsi tranquillitatem publicam turbare nunquam ausi semper pacate vixerint.* Respond. quamvis nonnulli atheorum ex naturali sanguinis temperatura, accedentibus profundis speculationibus a turbis abhorrentibus, magis ad quietem quam inquietem proclives fuerint, plerique tamen hominum ita ad turbandam pacem communem ductu affectuum suorum inclinant, ut eosdem reprimere vix possibile sit; ni duobus mediis, sc. *pœnis humanis* respectu actuum manifestorum & *pœnis divinis* intuitu actuum clandestinorum cohiberentur. Quod posterius medium si non foret, solæ humanæ pœnæ non sufficientes essent ad reprimendos inquietorum conatus, cum infinitæ alios clanculum lædendi occasiones dentur.

§. 12. Atheismo affinis est *Spinozismus*, de quo in peculiari capite.